Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1028
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

silencii cultum prosequimur. diebus ieiuniorum quibus none officium ante cenam perficimus exceptis. In hiis etenim peracta cena, silencio non constringimur. Soluto autem silencio poterunt inter se canonici de divinum persolucione officii de ordine suo sive de consuetudine ecclesie et aliis que spiritualia sunt sive utilitatem eorum respiciunt que alio tempore absque locucione expedire non possunt negociis simul conferre et tractare. postremo signo primo ad vespertinum officium dato: tamen que permittitur silencii consuetudinem censuimus observare. De confessione fratrum et communione. Capitulum xiiii.

Sane diebus festis infrascriptis videlicet natalis apparicionis Resurreccionis Ascensionis domini. penthecostes. quatuor etiam principalibus beate marie virginis. scilicet Assumpcionis. Nativitatis. purificacionis et annunciacionis festivis diebus. Dominica quoque adventus prima et quadragesime ad confessionem et sacram communionem omnes professi non in sacerdocio constituti iuxta antiquas maiorum monasteriorum consuetudines accedere debebunt nisi ex causa quam prelato aut penitenciariis locorum et monasteriorum predictorum exprimere teneantur eorumque iudicio abstineant vel accedant. Preterea quia fragilitate impellente humana multis peccatis involvimur quasi incessanter ut per confessionem peccati ad portas mine contingere salubriter nostrarum domorum professi valeant. Hoc etiam ordinandum censuimus et observandum ut certi fratres nostrarum zelatores pro audiendis confessionibus aliorum fratrum premio congruenti in congregacione qualibet deputentur qui pro modo culparum penitencias iniungere confitentibus sciant. Neque liceat cuicumque persone alicuius domorum nostrarum religioso alterius domus vel seculari presbitero nisi necessitas aliud suadeat absque superioris licencia aliquatenus confiteri. Fratres vero qui pro confessionibus deputati non sunt nullius persone cui nulla auctoritate in absolucionibus sacramentalibus sint suffulti audeat recipere confessionem nisi et super hoc